

ALBERTVS PRAESVL FRISINGENSIS.



Albertus filius fuit strenui comitis Alberti de Hohenberg, cuius sororem Annam Rodolphus rex matrimonio habuit. Is cum esset fœlici ingenio præditus, à patre Constantiam missus fuit, ut ibi bonis literis operam daret. Ibi cum plurimum profecisset, eius cathedralis Ecclesiæ canonicus factus est. earum etiam Ecclesiarum, quarum pater in Suevia patronus erat, Rector constituitur. Inde Lutetiam profectus iuri canonico incubuit. Verum mox ex auditore professor factus, magna diligentia Decreta exposuit, & in ijs Licentiatus creatus est. In patriam rediens Argentinensis quoque canonicus eligitur. Interea Rhodolphus Constantiæ præfus moritur, in cuius locum à quibusdam Episcopus electus est. Cum autem maior pars Capituli, unâ cum ciuibus, patris potentiam timerent, eam Ecclesiam obtinere non potuit.